

citabo super eas Pastorem unum, servum meum David (ut Mysticum Messiam) (e) Pastor Princeps vel hic apud Petrum, Princeps Pastorum v. 24. Ego Dominus ero eis in Deum, & servus meus David Princeps in medio eorum: Ego Dominus locatus sum. (f) Pastor proximus Jehova, Zach. XIII. 7. (g) Pastor percussus. Conf. Matth. XXVI, 31. Marc. XIV, 27. (h) Pastor bonus, qui dat vitam pro suis ovibus Job. X, II. Ego sum Pastor bonus: Bonus autem Pastor animam suam dat pro ovibus (i) Pastor magnus, Hebr. XIII. 20. Deus pacis, qui eduxit de mortuis Pastorem Magnum ovium in sanguine Testamenti aeterni, Dominum nostrum Jesum. (k) Pastor, & Episcopus animarum nostrarum 1. Petr. II, 25. (l) h. l. ἄρχιποιμὴν, Princeps Pastorum, vel Pastor Principalis, aut Principatus.

24. (3) Princeps Pastorum, vel græcis Ἀρχιποιμὴν. Pastor καὶ ἕξοχῆν, eminenter, vel eminentissimus Pastor, Pastor Principaliter, quo pacto multis respectibus sic appellatur, (1) ob Principale Pastorum Consilium, quia Salvator noster, tanquam Patris intimus Consiliarius, Es. IX, 6. & substantialis Patris sapientia, Prov. IIX, 1. Pastorale Consilium ad salutem hominum ab æterno dedit. (2) Ob Principale Pastorum decretum: nam quod æterna mente consilium dedit, illud etiam æterna voluntate firmiter decrevit, atque stabilivit. Quod enim in tempore fecit, illud ab æterno sapientissime decrevit. (3) Ob Principale Pastorum officium, dum ipse Principalis hominum, tanquam ovium spiritualium, Pastor factus est. (4) Ob Principale Pastorum subsidium, dum omnis generis Pastoralia subsidia sollicita cura suppeditavit Ezech. XXXIV, II. Hæc dicit Dominus Deus, Pastor David v. 13. Ecce ego requiram oves meas, & visitabo eas &c. v. 14. in pascuis uberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israel erunt aule earum, ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pingvibus pascentur super montes Israel. Ego pascam oves meas, & ego eas accumbere faciam, dicit Dominus; v. 16. quod perierat, requiram, & quod errans erat, reducam, & quod contractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo, & quod pingve, & forte custodiam, & pascam illas, in iudicio. Conf. cap. XXXVII, 24. (5) Ob Principale Pastorum meritum, quia non tantum pascere, sed